ORATIO DE S. SPIRITUS ADUENTU HABITA IN SACELLO PONTIFICUM_QUIRINALI AD SANCTISS. D.N. VRBANUM 8. PONT...

Orazio Dalla Torre, Johann Friedrich Greuter, ...

Digitized by Google

Eminentiſsimo Principi
GVIDONI
BENTIVOLO
S.R.E. CARDINALI

HORATIVS A TVRRE GENVENSIS F.

TVA, Princ. Emin. Gentilis Aquila oportunum orationi meæ præbuit argumentum. nã illa quoque eſt Amoris Armigera, nec alia coruſcat, quàm Beneuolẽtiæ fulmina, ne à corde BENTIVOLO diſsentiãt. Tuo igitur dicata nomini in lucem prodeat, illamq. Aqui-

la eadem protegat ſub vmbra clariſſima alarum ſuarum, nec alijs permittat eam peti fulminibus, quàm quæ ipſa benignè iaculatur. Vt id equidem ſperem facit humanitas in me tua, obſequium in te meum. Sub alis regiæ volucris, quam afflare nequeunt noxia fulmina, fulmine maledicæ linguæ nullo lædetur oratio, cum præſertim de linguis agat beneuolè fulminantibus.

ORA-

ORATIO.

PROCVL à tantæ auctoritatis comitio ludicra faceſſant ſplendidè mendacium commenta Poëtarum, qui Etnico perpendiculo nugis architectandis intenti, reginam auium ſupra nubes elatam Iouis fulmina coruſcare finxerunt. Sacrorum Vatum oculata ſapientia, quæ è prophetico trypode diuinitus afflata veriſſima poſteris effudit oracula, alata mente ſublimior euecta nobiliorem Aquilam in cælo ſuſpexit. Humani, inquam, generis Reparatorem Chriſtiani Imperij regnatricem Aquilam, ſub cuius triumphali vexillo militantis Eccleſiæ copiæ, quo nunquam potuit Romana potentia, fines propagant ampliſſimæ ditionis. Illa videlicet poſtquam in terris nidificans, vt prolem generoſam ſibi ſuperſtitem re-

linqueret, cum tartareo Dracone conflixit, quod eius fœtus conſectaretur auiditate malefica; poſtquam eoſdem alis inſtructos prouocauit ad volandum, & Soli Diuinitatis propius admouit; vt demum fluxas mortalitatis pennas exueret, non aquæ fluuialis, ſed proprij cruoris in gurgitem immerſa auſpicatiſſimam iuuentutem, quam de huiuſmodi ſcilicet Aquila regius olim cecinerat Hebræorum Lyriſtes, prodigiali anaſtaſi reparauit. mox autem agiliori corpore in ſublime contendens, è montis Olíueti faſtigio tanta cum ſuſpicientium admiratione ſe in nubes repente proripuit, vt eius inſuetum, ideoque mirandum præſagiuerit volatum, qui inter res perceptu difficiles viam Aquilæ in cælo recenſuit. Iam vero è cælo deſpiciens orbem terrarum, citra tabulam fulmina iaculatur, ſed fulmina amoris, non irati Iouis, ſed clementis Patris armigera. En factus repente de cælo ſonus auditur. fulmina videlicet non niſi cælo tonante contorquentur. O humanas motura tonitrua mentes! non tamen minarum formidine, ſed voluptatis illecebra; nam amoris tonitrua ſunt, qui vel minari neſcit, vel minando blanditur. Rectè vero Spiritus vehemens in Apoſtolorum conclaue repentinus irrumpit, nam priuſquam quis fulmine tangatur, vt Peripati Lycea iactant, incitato ſpiritu vehemen-

Plin. lib. 10. cap. 4.

Deuter. c. 32.

Pſal. 102.

Prouer. 30.

Act. 2.

Ouid. 1. Met.

Ariſt. Met. ſumma lib. 3.

menter impellitur. ille tamen ſpiritus vehemens non eos, vt fieri mos eſt, ad terram afflixit, imò in cælum erexit ſpe certiſſima eorum fulminum, quæ quoniam precibus impetrata fuerunt, eius generis ſint, quæ teſte Seneca Aduocata dicuntur, & aduocantium bono veniunt. Et miremur ſi eorum aduentu non timore inhorruerunt, ſed potius contra qui antea timidi parietibus tegebant ſeſe, in publicum alacres euaſerunt; cumque alijs de cęlo tactis vox intercluſa faucibus hęreat, illi eloquentiores effecti damnato ſilentio loqui cæperunt? nimirum ne igne terrefacti fulmineo attoniti ſilerent, idem illis fulmen fuit, & lingua. Quanquã linguæ ſpeciem pręferunt amoris fulmina, quia ſagittarius animorum per aures certiùs ictum deſtinat, nullumque fulmen tractat feriendis cordibus aptius, quàm linguam. Deum autem, quem cuncta moderantem ſentiebant, oculatum quidem veteres crediderunt, immo quaſi totus oculus eſſet, eundem ſignificaturi, oculum deſcribebant; quoniam verò nunquam loquentem audierant, eum vt elinguem exprimerent, Ciconiæ, quæ lingua caret, ſimbolum proponebant. At ò deliram antiquitatem! ille cuius Amor omnium potentiſſimus animos expugnat, lingua careret, quæ eſt amoris fulmen validius? En qui totus fuerat oculus, totus abit in linguas.

Pier. lib. 35. cap. 5.

Pier. lib. 17. cap. 13.

bitrium in cor ſponte recipiantur. aut certè obtuſa, quia feriendæ voluntati, quę eſt ſcopus amoris, non multum cõfert verborum acumen, quo vellicatur intellectus, non feritur voluntas: quæ ore dicentis prodeunt amoris fulmina plus habent ad accendendum ardoris, quam ad titillandum aculei. Aut demum obtuſa, vel quod illis diuinus ſagittifer nimis frequenter vtitur, vel quod illa pectoris humani durities adamantina reſiſtendo retundit. ò nos miſerè dementatos, niſi ſalutares eorum ictus in ſinum libenter admittimus. nam *Senec. nat.* ſi fulguritis ſerpentibus virus omne conſumitur, *quaſt. lib. 2. cap. 31.* vt ſtatim animum à vitiorum veneno purgabimus? quin immo ſi in locis cæleſti igne contactis gemma quædam gignitur, vt verbis vtar Plinianis, fulgorem ſiderum rapiens; in noſtris pectoribus, ſi tam beatè fulminentur, cor ipſum concreſcet in gemmam, quæ lucem cælitus excipiat, aut certè non in gemmam rigeſcet, ſed in fontem liqueſcet gemmantium lacrymarum. Verum ò mirabilium fulminum ingenium ſingulare! cætera ſæpius feriunt excelſa montium, quàm depreſſa vallium; diuini amoris, qui hu- *Pſal. 137.* milia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, in eos vnicè fulmina collimant, qui Chriſtianæ demiſſionis in valle iacentes, de ſe minus magnificè *Plin. lib. 2.* ſentiunt, illa parcunt capitibus lauro redimitis; *cap. 55.*

iſta

iſta eos præſertim impetunt; qui de ſubactis triumphantes vitijs lauream retulerunt. in quoſnam vero crebriora iaciuntur, quam in eos religionis Heroes, qui in Chriſti cauſa morientes immortali lauro coronantur? Laurentius equidem,& nomine,& martyrio laureatus ideò Tyranni contempſit incendia, quia fulminantis amoris iam antea facibus aſſueuerat. Quin ipſamet Aquila talium ſagittarum armigera non eſt earum ictibus immunis, immo prius hiſce fulminibus ſe peti ſenſit, quam corporata ſentiret. quæ porro in alios ipſa iaculatur, non aliunde depromit, quàm è ſui pectoris officina. Quid cetera referam fulminum vtrorumque diſcrimina? illa raro decidunt æſtiuis caloribus, ſæpiſſimè verno tepore; iſta ex aduerſo ſegnitie tepidos rarius feriunt, quàm charitatis æſtate feruentes. illa prius lucem ad oculos, quàm ad aures ſonum emittunt; iſta non ante mentes cæleſti fulgore colluſtrant, quàm verbis aures fuerint excitatæ. illa neminem afflant, qui prior viderit fulgur, aut tonitru audierit; iſta non vna propinqui lapſus ſignificatione expectantium animis prænunciantur. ò beatiſſimorum fulminum prænuncia lux vtinam aliquando nobis affulgeat. ſi enim olim conſenſus gentium fuit fulgetra poppyſmis adorare, fulgetra iſta longe clariora quibuſnam plau-

Conimb. in Met. cap. 5.

Ariſt. de mundo cap. 3.

Plin. lib. 2. cap. 50.

ſibus

ſibus excipiamus? nam beatum eſt tam ſanctis peti fulminibus, quæ ſereno cælo demiſſa, quamuis coorta pluuia lacrymarum, non vt miſerabiliter expiremus, ſed vt amabiliter ſuſpiremus vitale vulnus infligunt. vitale inquam, ſed vitijs mortale, cum illa confeſtim, quo pectus accenditur, igne extinguantur. ò ignem fortunatiſsimum, quo vtinam ardentibus nobis vitiorum ſordes in fumum euaneſcant, fumoque prouocent piacularem fletum oculorum. vt enim antiquitus fulmine exanimata corpora nefas erat rogali flamma cremari, nos item ſi ignibus hiſce fulmineis torreamur, euademus vtique ſupremum tartarei buſtum incendij. quid ni igitur ſinum tàm ſanctis facibus afflandum vltro præbeamus? non enim eos ſemper in homines cæleſtis Aquila iaculabitur, ſed olim poſitis amoris fulminibus, furoris fulmina contorquebit. illo inquam die dierum longè funeſtiſſimo, cuius exitia præſentiens Ioannes ait: Et vidi & audiui Apoc. 8.
vocem vnius Aquilæ volantis per medium cæli, & dicentis voce magna ve, ve, ve. ò triplicata tonitrua, quibus cęleſtis armigera nõ amoris profecto, ſed furoris fulmina minitatur. Vt illa tunc certius euitemus, iſtis nunc pectus offeramus, quę quoniam linguis ſimillima ſunt, nõ tam vulnera imprimet, quàm vulnera lambendo ſanabunt.

L A V S   D E O.

63

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I.B.Epiſc.Camerin.Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

ROMÆ, Typis Hæredum Franciſci Corbelletti. M DC XXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.